

1572
*tionem, persanctęque Fuscarenę polliceri, obviis in itinere navibus alimenta classi suppeditantibus, turcicas se ditiones ad-
 riturum. Interea rogare, istam animi ferociam, atque in ho-
 stem irruendi cupiditatem comprimeret, neque regiam, ac pon-
 tificiam classem diutius panis inopia confictari sineret: hosce
 animos in annum sequentem reservaret, quo majori conatu re-
 centioribus viribus, certiori spe in pavidos ac consternatos me-
 tu Turcas impetum destinarret. Demum, ut qui ab reliquorum
 sententia nunquam abhorruerat, nunc a reliquis ne se jungeretur,
 obnixę petere, atque obsecrare. His licet Venetus impe-
 rator vehementer repugnaret, tamen cum obsistere non pos-
 set, in aliorum sententiam, ne vulgata ducum dissensio com-
 muni bono obesset, invitus descendit. Itaque deductis tor-
 mentis, bellica soluta machina, milites cum Farnesio, nullo
 obsistente, conscendunt.*

*Federati
 Navarini
 obsidionem
 deserunt.*

Nondum classis e litore solverat (octobris nonę erant, quibus anni elapsi victorię dies solemni gratulatione recurrebat) cum ab exploratoribus affertur, ab Oenusa insula navigium (quod Austriaci fuisse postea compertum est) adversa tempestate in Echinadas delatum, Cytheram appulisse; ibi foederata classe non inventa, ut ei se adjungeret, Pilum petens, vigintiquinque triremium turcicarum manu ab Uluzzalio emissā, circumventum oppugnari. Eo nuntio allato, ex templo Austriacus profectiois signo edi jussu, galeatiis ac navibus relictis, e portu reliqua raptim subsequente classe, prodiiit; tantumque Methonem se intulit, quantum Navarinum intervallo reliquerat. Uluzzalius, suarum triremium periculo animadverso, cum aliis circiter septuaginta sese in nostrorum conspectum dedit, eo fortasse consilio, ut in altum elatus, foederatę classis in turcicas triremes invehentis postremam aciem carperet, suosque periculo eriperet; quod ita facturum nostri ex eo conjectaverant, quod inter Divi Nicolai arcem munitionemque in litore a dextera parte erectam substituisse animadvertissent. Austriacus una cum Fuscarenę, donec universa cogeretur classis, suosque in ordines cuncti concederent, immobilis stetit. Jacobo interea Superantio pręcepit, ut a læva, triremium collecto agmine, Uluzzalio sese opposeretur; in altum vero Marcum Antonium Columnam, Alvarum Bac-